

17

15

21

11

26

06

Dixit: Christophorus contrâ tunc incipit heros
Degenfeldinæ splendor honorq; domus:
Virtembergiacus prælustri stemmate Princeps,
Ipsius & coniunx inclita stirpe sua,
Nec non Badensis duo lumina splendida stirpis,
Et Peligardine luxq; comesq; domus,
Pro sibi muneribus largo de pectore missis,
Quas possunt grates pectore & ore ferunt.
Maiores, & Quinqueuiros, totumq; Senatum,
Ulmensis laudant lumina pulcra rei.
Quod promptæ mentis dent tam præstantia signa,
Dona nec oblio pectore tanta ferent.
Stabit apud memores huius benè gratia facti,
Fautores celebres huius & urbis erunt.
Vlma sibi noscet uicinos esse benignos,
Nullaq; res, de qua iure queratur, crit.
Hæc tum pauca dedit pro tempore nobilis heros
Dicta uoluntatis nuncia grata Ducum.
At Princeps coenam lautam iubet ipse parari,
Coniuas ciues & iubet esse sibi.
Tum tres obtulerant qui nomine dona Senatus,
Tum plures Vlmae lumina rara uiros.
Quorum si uellet meritas iam dicere laudes,
Crederet immenso se mea Clio mari.
Nec queat ad littus fors inde reducere cymbam:
Est igitur proprij carminis istud opus.
Omnibus at Princeps comis fuit atq; benignus
Nobilibus mensæ miscuit atq; suæ.
Viuitur & suavi recreantur corda lyæo,
Haustum de patera quisq; recente capit.

Inuitantur Ulmenses
ad coenam.

Ende

Anfang

Se